





ILLUSTRATIONES

THEOPHRASTI

IN USUM

BOTANICORUM

PRÆCIPUE PEREGRINANTIUM.

AUCTORE

JOH. STACKHOUSE, Arm.

SOC. LINN. LOND. HIST. NAT. MOSC.

(COLL. EXON. OXONII OLIM)

SOCIO.

OXONII,

E TYPOGRAPHEO CLARENDONIANO.

MDCCCXI.

PRÆFATIO.

THEOPHRASTUS, omnium, ſi Salomonem excipias, antiquiſſimus rei herbariæ inveſtigator, plantas circiter quadringentas, ut in variis peregrinationibus ſe forte ei obtuliſſent, enumeravit; paucas quidem obiter, utpote omnibus ſui temporis notiſſimas, plurimas vero accuratiſſime: individuas illas ſane, nulloque ordinis methodici vel Nomenclaturæ ſyſtematicæ reſpectu habito. Quotieſcunque vel de habitu alicujus plantæ, vel de partibus ejus ſermo erat, et præcipue quando vires medicæ quædam indagandæ erant, toties faſciculos, ut ita dicam, breves plantarum affinium in diverſis operis ſui libris collegit; quo fit ut eadem ſæpius recurrat ſpecies. Hinc faſtidium enatum Botanicis ſuperioris ſæculi, cui forſan addendæ ſunt, cum ex lingua technica et inſolita, tum ex textûs corruptione ortæ difficultates.

THEOPHRASTI nimirum ubique textus corruptiſſimus; et, ſi codices MSS. litteris confluentibus ex-

aratos, et vocum compendiis ubique ſcatentes, inſpicias, minime mirum videbitur rem ita ſe habere; præſertim ſi ſcientiæ Botanicæ ignaros omnino fuiſſe eorum exſcriptores memineris. Omnium quidem ακριβεϛατος eſt HOMERI textus, metro quippe heroico, omnium auribus accommodato ſcriptus; adeo ut alienam vocem locum non ſuum occupare, ſalva ſoni concordia, vix poſſibile fuerit. At Botanico cuivis THEOPHRASTI deſcriptiones aſſidue volventi, et plantas ipſas in agris ſimul inveſtiganti ſimile quoddam, ni fallor, eveniet: ſpecimen ipſum ſub oculis erit textûs commentarium, lociſque corruptis, ut plurimum, medelam ſuppeditabit.

Inter errores innumeros libet exemplum depromere; ubi, ſpeciminibus cum deſcriptione comparatis, ex meris tenebris vera elucebit lectio. Generis Ελατη Linn. duæ enumerantur ſpecies; E. αῤῥην: E. θηλεια, l. iii. c. 10. Prior deſcribitur "foliis magis pungentibus και επεϛρωμμενοις," (ita ſcriptum in cod. Baſil. in aliis επεϛραμμενοις, quod nullo modo convenit foliis Pinûs:) quæ deſcriptio apte convenit P. Abieti Linn. ("Spruce Fir" nobis,) cujus folia *coacervantur*. Vid. Tab. fig. A. Ελατη θηλεια, e contra, folium habet ὡς πτερυγας (pinnas alæ) και επ' ελαττον (ſenſim ſeſe diminuens) ὡϛε την ὁλην μορφην θολοειδη ειναι, και παρομοιον μαλιϛα ταις Βοιωτιαις κυνεαις. (in marg. ed. Budæi legitur κυαθαις.) Locum hunc ita vertit THEODORUS: "folium pinnatum, et "in anguſtias tendens, ut tota facies concamerata vi-

"deatur, ſimiliſque potiſſimum galeis Bœotorum ap-"pareat." THEOPHRASTUM haud ita ſcripſiſſe facile quivis, ne dicam Botanicus, affirmabit; THEODORUM vero ignotum per ignotius Latine interpretari. Vox Tholus (Gr. Θολος) occurrit apud VARRONEM in deſcribendo Ornithone Turdis ſervandis et ſaginandis conſtructo. VARR. l. iii. c. 5. "Tholus camera in-"terior *denſe* columnata; exterioribus lapideis, inte-"rioribus ex Abiete tenuibus," ſc. denſis adeo, ut parvulæ hæ aves minime tranſire queant. Ex ſtructura Tholi clathrato-columnata, conjicere licet θολον quoddam clathratum ſignificare. Θολος, ceu Cella penaria, HOMERI Od. xxii. lignis crebris parallelis conſtructus videtur, quo aer facilius permeet; ſicut et θολος, ſive vaporarium in balneis. Hinc ſi ramulus, vel ſurculus extremus aliquis P. *Piceæ* L. cum foliis denſiſſime ex oppoſito inſpiciatur, ſimilitudo apta της μορφης θολοειδους occurret. (vid. Tab. fig. B.) Quod ſi vocem κυνεαις conſideremus, nihil omnino cum ramo abietino commune habet. Subſtituo levi immutatione unius literæ vocem κτανεαις. Vox κτανεα quidem ipſa non reperitur, ſed κτενος gen. a κτεις, pecten, eſt notiſſima, Dorice κτανος; et ex inſpectione ramuli Ελατης θηλειας, ceu Pinûs Piceæ, cujus iconem exhibui, Tab. fig. B. licet conjicere κτανεαν Βοιωτιαν dentibus utrinque ex adverſo inſtructam fuiſſe, ut in buxeis et eburneis noſtris, Angl. "a double-toothed comb." Notandum etiam eſt vocem πτερυγα pinnam alæ, æque ac alam

ſignificare; (vid. Heſych.) unde folium *alatum* ſuperioris ævi Botanicorum, eſt folium *pinnatum* Linnei. Voces αῤῥην, θηλεια, quæ in deſcribendis plantis frequenter apud Theophrastum occurrunt, fertilitatem vel ſterilitatem, habitumve plus vel minus robuſtum, indicare videntur, ut et vox ἱππος plantæ nomini in compoſitione præfixus; et hîc loci notatu dignum eſt, Ελατην αῤῥενα raro ante provectiorem ætatis annum ſemina maturare. In aliis vero ejuſdem auctoris locis diſtinctio hæc in Mares et Fœmineas v. g. in Pálmis et Ficubus, clare indicatur. Methodum Palmas fœmineas polline maſculo fæcundandi libet hîc ſubjicere. Γινεται δε τονδε τον τροπον· ὁταν ανθῃ το Αῤῥεν, αποτεμνοντες την σπαθην, αφ᾽ ἧς το ανθος, ευθυς ὡσπερ εχει, τον τε χνουν, και το ανθος (forſ. legend. του ανθους. v. χνους) και τον κονιορτον, ΚΑΤΑΣΕΙΟΥΣΙ κατα του καρπου της Θηλειας, κ᾽αν τουτο παθῃ, διατηρει, και ουκ αποβαλλει. l. ii. ad finem.

In Tabula Syſtematica ſecundum Linnei methodum ordinanda mendas plurimas occurſuras ſatis ſcio: veniam tamen mihi dabit Lector, utpote qui opus tantæ molis aggredi primus auſus ſim; obſervationibus autem illorum qui plantas loco natali creſcentes inveſtigaverint, et progreſſu operis celeberrimi, Flor. Græcæ, ita auſpicato apud nos inchoatæ, Plantarum Theophrasti Catalogus, indies, ut ſpero, accuratior evadet.

Nuperrime mihi in manus venit opuſculum, cujus

titulus "Tentamen in historiam plantarum THEO-"PHRASTI, Auct. I. I. P. Moldenhawer, Hamburgi, "1791. Occasionem hujus Auctoris libello, ut ipse "ait, præbuit exemplar editionis Aldinæ primæ, His-"toriæ Plantarum Theophrasti, et de Causis Plan-"tarum, variis lectionibus auctum, in Bibliotheca "Regia Havniæ, una cum manuscriptis Alberti Fa-"bricii. In eo nempe cum occupatus fuerit, ut "utrumque opus commentario, notisque criticis il-"lustratum ederet, *summo Theophrasti acumine per-"culsus, et plura illum, quam vulgo opinantur, vidisse "perspiciens*, Tentamen hoc, ut specimen hujus insti-"tuti peritis tradit, ut illorum suffultus judicio ratio-"nem operis moderaretur." Quatuor tantummodo primi libri περι φυτων capitula ibi prelo mandantur; additis emendationibus textûs, investigationibus plantarum quæ in his continentur, et quæ de partibus plantarum, et de earum interna structura perspecta habuit THEOPHRASTUS. Apud nos etiam miscellaneo opere tractatûs varios Historiæ Naturalis continente cel. vir GUL. FALCONER, M. D. plantas Theophrasti et Dioscoridis, aliorumque scriptorum apud Græcos, additis Bauhini et Linnei synonymis, edidit, Cantabrigiæ, A. D. 1793. Ob variam sane Cl. scriptoris doctrinam, et inprimis summam Græcæ linguæ peritiam, "Tabulam Plantarum in priscis Scrip-"toribus Græcis maxime repertarum," cuivis Naturæ inquisitori operæ pretium erit studiose perpendere;

non tamen hujus inſtituti eſt diſcrepantia nomina plantarum Theophraſti et Dioſcoridis, aliorumque in concordiam redigere, ſed tantummodo ex deſcriptionibus ſuis in unum collatis Tabulam ſyſtematicam Plantarum THEOPHRASTI Lectori exhibere.

Non autem tanquam Auctor ſyſtematicus, uti recte admonet LINNEUS, contemplandus eſt THEOPHRASTUS, etſi inter Phyſicos vix magiſtro ejus Ariſtoteli ſit poſthabendus. Comparatione ſcilicet (l. i. c. i. περι φυτων) inſtituta inter animalia et vegetabilia, τα μερη, τα παθη, τους βιους, τας γενεσεις, amborum ſedulo definit. Vires medicas etiam, et varias culturæ methodos incredibili fide ac cura perſequitur, ut magis rem quotidiani uſûs legere videamur quam longinqua vetuſtate abditam. Cujus rei exempla pauca liceat hoc loco proferre: 1. Methodum uvas ſine acinis producendi. 2. Inſita ex duobus Vitis, *Viniferæ* L. varietatibus in unum conjungendi, ut albæ et nigræ in eodem racemo inveniantur uvæ. 3. Luxuriem nimiam, fiſſo ſtipite, *calculo interpoſito* reprimendi. 4. Amygdalorum ſterilitatem, ope fiſtulæ ferreæ in truncum circumactæ, quo ſuccus nimius effluat, corrigendi. 5. In quamplurimis fructiferis arboribus corticem auferendo, vel circumſcindendo: optime enim noverat vir acutiſſimus, quod quidem ſæpius diſerte monuit, fertilitatem ex debilitate, ſterilitatem ex robore provenire.

CATALOGUS ALPHABETICUS

PLANTARUM THEOPHRASTI,

DESCRIPTIONIBUS SINGULARUM

IN UNUM COLLECTIS,

ET

IN GENERA ET SPECIES,

JUXTA

SYSTEMA LINNEI,

QUOAD FIERI POTUIT, DISPOSITIS.

CATALOGUS ALPHABETICUS

PLANTARUM THEOPHRASTI.

A.

ΑΒΡΟΤΟΝΟΝ. *Syngen* [a].

Unà cum Ruta, Origano, &c. ut fempervirens, i. 15. caulis lignofus, foliis parvis, vi. 1. ex radice vel furculis propagatur, rarius ex femine; planta frigoris impatiens; radices lignofæ, profunde in terram agentes, vi. 7.

ΑΓΝΟΣ. *Didynam.*

Cultura et tempore ad arboris magnitudinem accedit, i. 5. cum Paliuro et Hedera enumeratur, ibid. flores fuperi, *Bot.* ut Pyri, Punicæ, i. 22. fructificatio in fummitatibus, i. 23.

ΑΓΡΩΣΤΙΣ. *Triandr.*

Culmus nodofus, i. 10. radix nodofa, repens; ad nodos radiculas et ftolones emittens; cum Cypero enumeratur inter paludofos, iv. 11. Sæpius non occurrit.

ΑΓΧΟΥΣΑ. *Pentandr.*

Genus herbaceum, (ποωδης,) vii. 9. foliis radicalibus, caule nudo; cum Plantagine et Anthemio enumeratur; radix rubra, ib.

ΑΔΙΑΝΤΟΝ. *Cryptog.*

Folia hyemem durant, nullo certo germinandi tempore, vii. 10.

[a] Vide Tabulam Syftematicam.

folia humorem repellunt, unde nomen, vii. 13. duæ ſpecies numerantur, 1. A. λευκον, 2. A. μελαν, cujus uſus ad capillos nutriendos, ſucco oleo mixto, ib.

ΑΕΙΖΩΟΝ. *Dodecand.*

Foliis carnoſis, (σαρκοφυλλον,) i. 16. folium viride et ſucculentum, etiam in locis aridis; folia ſucculenta, lævia, oblonga, vii. 14. Habitat in arvis, in ſummis murorum, et ſuper figulas.

ΑΙΓΕΙΡΟΣ. *Polygam.*

Cortex carnoſus, i. 8. ſpecies peculiaris ex inſula Creta memoratur, ii. 3. in pratis abundat, iii. 4. antiquitus arbor ſterilis vocata; in Creta fructifera, iii. 5. arbor præcox, iii. 6. juxta aquas creſcit, και ευαυξης εστι, "is of quick growth," iii. 7. ſpecies unica datur, arbor procera, iii. 14. βραχυβιος, "ſhort lived," iv. 14.

1. ΑΙΓΙΛΩΨ—δρυς. *Monœc.*

Species hæc glandem maxime amaram fert; habitat in M. Ida; arbor omnium procerrima, cortice maxime omnium lævi, ligno ſolidiſſimo; raro in agris cultis, iii. 9.

2. ΑΙΓΙΛΩΨ—*gramen.* *Polygam.*

Semina annis ſucceſſivis proveniunt, vii. 12. folia pubeſcentia et *nitentia* vere, viii. 7. inter ſegetes hordei frequentiſſime, viii. 8. *terram maxime exhaurit.* Radicibus et caulibus numeroſiſſimis, viii. 9. ſemen non germinat, niſi cito ſatum; nec occultari terra amat, ſed inter gramina germinat; arenoſa amat et culta, viii. 11.

ΑΙΜΑΔΩΡΟΝ. *Didyn.*

Spec. paraſitica; naſc. ex radice Cumini, caule unico ſimplici; capite amplo, obtuſo; radice orbiculari, viii. 8. ſemel occurrit.

ΑΙΡΑ. *Triandr.*

Caulis tegumen ſimplex ſine tunicis, (μονολοπος,) i. 8. ſemen noxium, *capitis dolorem* inducens, viii. 5. ſterilitatem inducit agris, viii. 9. folia anguſta, pubeſcentia, *Bot.* (δασεα) nitentia præcipue tempore verno, viii. 7. Triticum et Hordeum dicuntur degenerare in αιραν cultûs negligentia.

1. ΑΚΑΝΘΑ. *Syngen.*

Gummifera; gummi Illyrico, odore et colore, ſimilis. Hab. reg. Aria dict. iv. 5.

2. ΑΚΑΝΘΑ—ΑΦΥΛΛΟΣ. *Syngen.*

Μια ακανθα εφ' ἑκαϛῳ των οζων, ſpec. ignota, cujus ſuccus expreſſus oculis pernicioſus, iv. 5.

3. ΑΚΑΝΘΑ ΔΙΨΑΣ. *Syngen.*

Deſc. nulla. Hab. in arenoſis Arabiæ prope mare Rubrum, iv. 8.

4. ΑΚΑΝΘΗ ΙΝΔΙΚΗ. *Syngen.*

(Id. q. *Ακανθη* gummifera, iv. 5.) quæ vocatur *Ατρακτυλις*. (vid. vi. 3, 4.) ix. 1, cujus gummi, coloris ſanguinei.

5. ΑΚΑΝΘΑ ΚΕΑΝΩΘΟΣ. *Syngen.*

Vid. *Κεανωθος*.

6. ΑΚΑΝΘΑ ΛΕΥΚΗ ΤΡΙΟΖΟΣ. *Syngen.*

7. ΑΚΑΝΘΑ ῾ΗΡΑΚΛΕΙΑ. *Syngen.*

Ex hujus caule baculi fiunt; caulis ſucco plenus, ſpec. ignota, iv. 5.

8. ΑΚΑΝΘΑ ΧΑΛΚΕΙΟΣ. *Syngen.*

Ita dicta ex colore floris; ſemel occurrit, vi. 3.

ΑΚΑΝΘΟΣ. *Polygam.*

Hab. in arvis, non in montibus, Macedoniæ, iii. 4. ſpinoſa per totum; magn. ampla, lignum utile. Species duæ; 1. A. albus; 2. A. ater. 1ma. ligno molli, *ευσηπτῳ*, " quickly decaying." 2da. lig. duro, *ασηπτῳ*; loti ligno ſimili; fructu lobato, coriariis utili; flore ſpecioſo in ſertis uſitato, arbor gummoſa, ſylvam cæduam formans. Hab. Thebaide, iv. 3.

ΑΚΑΡΝΑ. }
ΑΚΟΡΝΑ. } *Syngen.*

Foliis ſpinoſis, i. 16. pl. herboſa, et inter ſpinoſas cum carduis

enumeratur, vi. 3. Cnico affinis fativo? (ἡμερῳ) colore fubflavo, et foliis nitentibus, (λιπαροις.)

AKONITON. *Polyand.*

Folio Cichorii, radice tuberculata, bulbis nuciformibus, venenofis; ceteræ partes innoxiæ: habitat in Ακοναις, pago quodam Mariandunorum, unde nomen, ix. 16. N. B. Textus forfan corruptus; *ακονη* enim cos; *εν ακοναις* (locis faxofis) pagi, &c.

ΑΚΟΡΟΣ. *Hexandr.*

Flos infidet femini, femel occurrit fine defcriptione, cum Cnico, i. 22.

ΑΚΤΗ. ΑΚΤΕΟΣ. } *Pentand.*

Lignum tortuofum, (λοξον) i. 8. fine medulla fecundum quofdam, i. 9. fecundum alios medulla carnofa, ib. lignum enode, i. 13. in udis crefcit, et in umbra; lignum laxum, leve, medulla tenera in junioribus, parte interna cava in adultis; unde ex levitate baculi fiunt, radices fuperficiales paucæ, folia *περι ἑνα μισχον*, (pinnata,) *παχυ, ινωδες*, (pedunculo craffo, ftrigofo,) *τα μεν ενθεν, τα δ' ενθεν*, (oppofita,) *κατα γονυ και συζυγιαν*, (ad nodos et juncturas,) *εχοντα δ' ἑν*, (*φυλλον*) *επ' ακρον*, (terminata folio impari *Bot.*) *ανθος λευκον εκ μικρων λευκων πολλων*, (umbella alba, ex flofculis albis numerofis,) *επι μισχου σχισει, κηριωδες*, (ad divifuram pedunculi formam exhibens favi, fc. cavitatibus florum in plano, vid. Κηριωδης Lex. Theophr.) odor liliaceus; bacca lentis magnitudine, immatura, purpuro-rubra, (*ομφακωδης*·) matura, nigra, iii. 13. Sambuci defc. accuratiffima. Lign. folidum album, iv. 4.

ΑΛΕΧΑΝΔΡΕΙΑ ΔΑΦΝΗ. *Diœcia.*

Fructum fert fuper folium, ex rachi, vel vena intermedia; eodem modo ac Κεντρομυρρινη, (Rufcus *aculeatus*,) ambo enim Rufci L. fpecies, iii. 17.

ΑΛΘΑΙΑ. *Monadelph.*

Ab aliis Malva fylveftris; hab. Arcadia, Macedonia; planta medicinalis, ix. 15. foliis Malvæ, fed majoribus, et magis pubefcen-

tibus; caules etiam pubefcentes; flore luteo; fructu Malvæ; radice fibrofa alba: fuccus guftu fimilis caulis Malvæ; ufus adv. hernias, et morbos pulmonum, et ulcera externa, oleo mixtus, ix. 19.

ΑΛΙΜΟΝ το. *Polygam.*

Sp. Salicorniæ, ex qua fal Kali, "Barilla" dict. ex Europa Auftrali; plantas alias necat ex abundantia falis muriæ in fucco, iv. 20. de C. Pl. v. εν ἁλμωδεσι φυεται. de Cauf. Pl. vi.

ἉΛΙΦΛΟΙΟΣ. Vid. Δρυς. *Monœc.*

ΑΛΩΠΕΚΟΥΡΟΣ. *Triandr.*

Spec. ϛαχυωδης, μαλακος, χνοωδεϛερος (vid. Χνȣς) ὁμοιος των Αλωπεκων ȣραις. Defcriptio hæc fatis convenit gramini Alopecuro Linn. item ἡ ανθησις χνοωδης (flores apetali *Bot.*) καθαπερ τȣ Σιτȣ, vii. 10. N. B. Textus hic corruptus valde: nec fatis liquet quare Αλωπεκουρος cum Στελεφȣρῳ (Plantagine L.) et Θρυαλλιδι (Verbafco L.) ut planta affinis et Σταχυωδης enumeratur. De fignificatione voc. ϛελεφȣρος, vid. Lex. Theoph. Σταχυς Θρυαλλιδος (Thyrfus Botanicorum) ουκ οξυς, ουδε αθερωδης (barbatus *Bot.* vid. Lex.) αλλ' ἁπλα και μονοειδης, quibus fatis diftinguitur Verbafci Thyrfus a Spica graminea. N. B. In Fafc. 2do. Flor. Græc. extat Spec. Phleum crinitum dict. t. 62. fpica caudam vulpinam referente.

1. ΑΜΑΡΑΚΟΣ. *Didynam.*

Pl. herbacea, fempervirens, i. 15. ramulis lignofis, foliis parvis, vi. 1. πολυσπερμος, fragrans, foliis mollioribus Abrotano; radice fibrofa, fuperficiali, vi. 7. vires aromaticæ, ix. 7.

2. ΑΜΑΡΑΚΟΣ. *Hexand.*

Spec. duæ; 1. A. φρυγιος; 2. A. ποθος; quorum prior flore Hyacinthis fimili, alter αχρους, λευκος (an οχρο-λευκος, albidus,) cujus ufus ad funera ornanda, vi. 7.

1. ΑΜΠΕΛΟΣ. *Pentand.*

Cortex laceratus, i. 8. medulla carnofa, i. 9. folia ampla, i. 16. fuccus aquofus, i. 19. flores ftaminei, i. 21. flor. inferi, *Bot.* i. 22. furculi recentes fructum ferunt. i. 23. Varietates occur-

runt plurimæ, i. 24. propagatur ex ramis junioribus, ii. 1. ferendo degenerat, ii. 3. var. A. *καπνιος* dicta, cujus racemi variegantur albo et nigro, (*εκ μελανος βοτρυος λευκον, και εκ λευκου μελαν φερει*) ii. 4. Hab. in Tmolo monte, et Olympo. A. *μανομενα.* de C. Pl. i.

2. ΑΜΠΕΛΟΣ ΑΓΡΙΑ.

Radix Vitis ſylveſtr. cauſtica, depilatoria.

3. ΑΜΠΕΛΟΣ ΙΔΑΙΑ. *Pentandr.*

Fruticoſa ſpec. ramulis parvis; racemis lateralibus; uvis Piſi magn. guſtu ſuavi; acinis mollibus; foliis parvis, rotundis, indiviſis, iii. 17.

4. ΑΜΠΕΛΟΣ ΠΟΝΤΙΑ. *Cryptog.*

Species 2. littoralis et pelagica, ſed fructus pelagici major; veſiculæ rotundæ, F. *bacciferi* et *natantis L.* pro fructu accipiebantur, cujus forma haud inepte uvam refert.

ΑΜΥΓΔΑΛΟΣ. *Icoſandr.*

Nux cum putamine ſtatim enaſcitur, i. 18. ſemina oleoſa, i. 19. flos petalis inſtructus, amplus, i. 21. fructum fert in ſurculis biennibus, i. 23. mos ſuccum extrahendi ope paxilli in lignum inducti, quo fructifera evadat, ii. 3. flores prodeunt ante folia, vii. 12. arbor gummoſa, ix. 1.

ΑΜΩΜΟΝ. *Monandr.*

Ex Media transfertur, item ex India; cum Cardamomo enumeratur: ſed unguentum ſolum memoratur, ix. 6, 7.

ΑΝΑΔΕΝΔΡΑΣ. *Claſſ. incert.*

Spec. Epidendri peculiaris. de Cauſ. Pl. v.

ΑΝΔΡΑΧΝΗ. *Decandr.*

Sempervirens, i. 15. montana ſp. hab. Macedonia, iii. 4. duæ ſpecies enumerantur, quæ ſimul germinant, iii. 6. *ευαυξης*, (cito creſcit,) iii. 7. foliis *Κομαρου* (Arbuti), cortice lacero, et ſeſe abjiciente, (*ὡςε αποπιπτειν*,) i. 8. albido, fructu Arbuti, iii. 16. lignum tornatile, et ad fuſos uſitatum, v. 8.

ΑΝΔΡΑΦΑΞΥΣ. }
ΑΤΡΑΦΑΞΙΣ. } *Polygam.*

Satio poſt ſolſtitium autumnale, vii. 1. ſemen poſt octo dies emergit, ib. ſemen latum, membrana cinctum, (φυλλωδες) vii. 3. radix fuſiformis, vii. 2. Species una ſaltem: ſemina non durant, vii. 6.

ΑΝΔΡΥΑΛΙΑ. *Syngen.*

Semel inter λαχανα occurrit, quæ uſibus culinariis inſerviunt; inter κιχωριωδη cum Αφακη, Ὑποχοιριδι, Ηϱιγεϱοντι enumeratur, vii. 7.

1. ΑΝΕΜΩΝΗ. *Polyandr.*

Floret poſt primum tempus pluviale, vii. 8. Deſc. nulla.

2. ΑΝΕΜΩΝΗ ΛΕΙΜΩΝΙΑ. *Hexandr.*

Spec. Narciſſi ſylveſtris, quæ floret cum Ελειοχρυσῳ, Ξιφιῳ, Ὑακινθῳ; vi. 7. ανθη εαρινα. ib.

ΑΝΗΘΟΝ. }
ΑΝΗΣΟΣ. } *Pentandr.*

Species gymnoſperma, (vid. Γυμνοσπερμος Lex. Theophr.) cum Cumino, Coriandro, Fæniculo. (N.B. Non Gymnoſp. Linn.) i. 18. planta fragrans, i. 19. αμαυϱοκαρπος, (fructus parvus latens ?) ex axillaribus ramis fructum fert, ut ferula, vi. 2. ſeminatur bis in anno, vii. 1. Κοριαννον, Μαϱαθϱον, Ανηθον, γυμνοσπερματα: vid. diviſionem in γυμνοσπ. εμφλοιοσπ. et παπποσπερματα, vii. 3. ſemina inter unguentaria, ix. 7.

ΑΝΘΕΜΟΣ. }
ΑΝΘΕΜΟΝ. } *Syngen.*
ΑΝΘΕΜΙΟΝ. }

Flos ſemini inſidet, i. 22. foliis radicalibus, radicem cingentibus, vii. 9. flores ad apicem primo florent: forma floris, το εν κυκλῳ ανθος λευκον, (radii circulares floris, albi,) το δ' εν μεσῳ χρυσος, (diſcus floris luteus, vel aureus,) vii. 13.

ΑΝΘΕΡΙΚΟΝ. *Hexandr.*

Planta herbacea, quæ vel in aridis vel in uliginofis et paludibus marinis provenit, ut Scylla, i. 7. planta fiftulofa, cum Conio, Fæniculo, &c. enumeratur. N. B. Diftinctio fumitur illarum quæ caule funt lævi, ut Mandragoras, Conium, Helleborus, Anthericum; et quæ caule nervofo et ftriato, ut Fæniculum, &c. vi. 2.

ANTIPPINON. }
ANTIPPIZON. } *Claff. incert.*

Dicitur effe fimile Aparines, ix. 21.

ΑΠΑΡΙΝΗ. *Tetrandr.*

Caulis fcandens, vii. 8. adhæret veftibus δια την τραχυτητα, nec facile abftrahitur; flos dicitur innafci in afpero pericarpio, inconfpicuus, *Bot.* et in feipfo fructificans, ut ovum, vii. 14. Ervi fegetes infeftat, viii. 8.

ΑΠΑΤΗ. *Claff. incert.*

Επιγειοφυλλος cum Αρνογλωσσῳ, vii. 9.

ΑΠΙΟΣ. *Icofandr.*

Arbor mediæ magn. i. 4. folium περιφερες, in medio turgidum, P. *mali L.* folio rotundius, i. 16. fuccus, (χυλος) "the fap," aquofus, i. 19. flores πεταλωδεις, (petalis diftinctis) i. 21. ex furculis biennibus vel annuis floret, i. 23. Varietates cultæ maxime differunt a fylveftribus, i. 24. ferendo degenerat, ii. 3. propagatur infitione, ii. 7. fylveftres fpec. validiores, fed minus fructiferæ, iii. 3. fructum fert ex furculis extremis, et ex lateralibus, Ang. "fpurs," iii. 7. optimi circa Pantacapæum, in Ponto, iv. 6. Diftinctio inter Απιον et Αχραν, fylveftrem fc. et cultam, iv. 11. Sylveftris fpec. minus obnoxia vermibus, iv. 16.

ΑΡΑΚΟΣ. *Diadelph.*

Planta infeftans fegetes Ervi; herba afpera, fragilis, (σκληρος) viii. 8. N. B. Hinc forfan vox Latina cracca, nomen triviale Viciæ fpec. Linn.

ΑΡΑΚΟΥ ΟΜΟΙΟΣ. *Diadelph.*

Cum Αραχιδνα enumeratur, i. 11. vid. Αραχιδνα.

ΑΡΑΧΙΔΝΑ. *Diadelph.*

Fructu vel tuberculo ſub terra: cum Ουιτῳ enumeratur, i. 1. radix ſimplex carnoſa; ceteris fibroſis, ſuper quibus fructûs, vel tubercula, i. 11.

ΑΡΙΑ. *Icoſandr.*

Fructus maturatur hyeme ineunte, iii. 6. Dorica ſpec. Αρια vocata, Πρινῳ affinis, cujus lignum intermedium inter Πρινον et Δρυν· λευκοτερον του Πρινου, οινωποτερον της Δρυος, "lighter coloured than the firſt, darker than the laſt," iii. 16. folia Πρινου: fructus vocatur Ακυλον, ib. lignum hyeme cæditur, v. 1. durum, fragile, v. 4. incorruptum, v. 5. δυσεργον, ut quercûs lignum, v. 6.

ΑΡΙΣΤΟΛΟΧΙΑ. *Gynandr.*

Fructus fragrans odore, etſi guſtu amarus; foliis Alſines, ſed anguſtioribus; radice nigra: planta medicinalis valde, ix. 13. Hab. in Arcadiæ et Laconiæ montibus: in Pelio, Clitoria, Tegea, &c. ix. 15. radix magna, atra, amara, ſed fragrans; foliis rotundis, radicalibus, ib.

ΑΡΚΕΥΘΟΣ. *Diœcia.*

Sempervirens, i. 15. ſpec. montana, iii. 4. ενιαυτοφορος (fructus maturatur anno 2do.) iii. 6. cito creſcit, iii. 7. habitat cum Ελατῃ in montium lateribus, non in ſummis, iv. 1. lignum uſitatum in ædificando cum Ελατῃ et Κεδρῳ, vi. 8.

ΑΡΝΟΓΛΩΣΣΟΝ. *Tetran.*

Foliis coronam radicis cingentibus: επιγειοφυλλον, vii. 9. ſpica floret κατα μερος, (ſucceſſive) vii. 10.

ΑΡΟΝ. *Gynandr.*

Radix magna, carnoſa, i. 9. ſimul cum Cypero, i. 10. radix lævis, mollis, ſine cortice, vii. 9. radix edulis cum aceto: quo radix creſcat magnitudine, *circumvertunt* radicem ne foliis luxurietur, et alios generet radiculos, vii. 11. folia ſubtus cava, et lata, vii. 12. plant. ακαυλος, vii. 12.

ΑΣΙΝΗ. *Claſſ. incert.*

Cum Ἑρπυλῳ enumeratur ſemel. de C. Pl. ii.

ΑΣΚΙΟΝ. *Cryptog.*

Tuberis ſpec. cum ſubterraneis Ὑδνῳ, Ουιπῳ, vel Ουιγγῳ enumeratur, ὧν ουδενι εστι ῥιζα, i. 10.

ΑΣΚΛΗΠΙΑΣ. *Pentandr.*

Panaceæ ſpecies, ſic dicta ab Æſculapio; radix σπιθαμιαιος, alba, craſſa, cortice valde craſſo; ἁλικωδει? (i. e. ſucco ſalino) caulis nodoſus, foliis θαψιας, ſed craſſioribus, ix. 12. Vid. Πανακες.

ΑΣΠΑΛΑΘΟΣ. *Claſſ. incert.*

Inter odoriferas, ix. 8.

ΑΣΠΑΡΑΓΟΣ. *Hexandr.*

Planta aphylla, ſpinoſa, i. 16. ſpinis ſolum, ut Σκορπιος, vi. 1. floret autumno, vi. 3. producit aliquod clavæforme, (κορυνωδες,) parvum, ex quo prodit flos parvus, ib. radices profundæ et numeroſæ; ſtolones εκ της Ασφαραγιας, ("the Aſparagus bed,") edules; unde liquet antiquis uſum plantæ notum eſſe, ib.

ΑΣΦΟΔΕΛΟΣ. *Hexandr.*

Foliis radicalibus, i. 16. radix glandiformis, (βαλανωδης) vii. 9. radix edulis, vii. 11. foliis longis, anguſtis, nitentibus, ib. πολυκαρπος; ſemine lignoſo, triquetro, in pericarpio rotundo, infero, *Bot.* dehiſcente per maturitatem; floret ſucceſſive; caulis ſupra ramoſus? (αποφυσεις ανωθεν εχων,) vii. 12 Vid. αποφυσεις.

ΑΤΡΑΓΕΝΗ. *Polyandr.*

Semel cum Corylo *Avellana* occurrit: lignum ad πυρειας εσχαραν utile: (vide πυρεια,) v. 10.

ΑΤΡΑΚΤΥΛΙΣ. *Syngen.*

Spinis in caule et foliis, ακανοις etiam (perianthiis vel capitulis ſpinoſis) cum Κνικῳ, Ονοπορδῳ, aliiſque Carduis enumeratur, vi. 3. λευκοτερα πασων, (foliis magis canis,) ſuccus ſanguineus: vocatur Ακανθα φονος: odor gravis; ſero floret, vii. 4. ſuccus ſanguineus, ix. 1.

1. ΑΦΑΚΗ. *Diadelph.*

Οψισπερμος, viii. 1. legumen latum, viii. 5. cito germinat, viii. 10.

2. ΑΦΑΚΗ. }
ΑΠΑΤΗ. } *Syngen.*

Planta κιχωριωδης; floret fucceffive, vii. 10. fpec. amara et inedulis; cito fenefcit et in pappum abit; flos pallide luteus, vii. 11. germinat πρωτοις ὑετοις, vii. 8. floret per totam æftatem, vii. 11.

ΑΦΑΡΚΗ. *Pentandr.*

Sempervirens, i. 15. hab. in montibus Macedoniæ, iii. 4. fpec. fylveftris et culta germinant fimul, iii. 6. lignum utile ad vallos et fudes, v. 8.

ΑΦΙΑ. *Claff. incert.*

Planta κιχωριωδης, quæ femel memoratur, vii. 8. floret ftatim cum prima germinatione. N. B. Forfan error textûs pro Αρια.

ΑΧΡΑΣ. *Ifocandr.*

Καλλικαρποτερος Απιου, i. 7. differt max. a culta fpec. i. 24. hab. in planis, iii. 4. floret poft cultam, iii. 6. ευαυξης, (cito crefcit,) iii. 7. maxima inter Αχραν et Απιον differentia, iv. 14.

ΑΧΥΝΩΨ. *Incertum.*

(Baf. χνυωψ,) cum Αρνογλωσσῳ, Στελεφουρῳ floribus fpicatis, cylindricis. vii. 10. N. B. Cenfeo legendum Εχινωψ, vel forfan Κυνωψ, fpec. flore ringenti. *Bot.* Vid. vii. 8.

ΑΨΙΝΘΙΟΝ. *Syngen.*

Succus amarus ut Centaurium, i. 9. inter odoriferas quæ frigora amant, iv. 6. folia amara, fed utilia, vii. 9.

B.

ΒΑΛΑΝΟΣ ἡ. *Claff. incert.*

Nux in cortice coriaceo, i. 17. guftu dulci, melleo, i. 19. arbor ita vocata ex fructu glandiformi, iv. 2. Hab. Ægypto; folio Myrti vel anguftiore; arbor fatis ampla, ramis tortuofis. Unguentarii nucibus et pericarpiis fimul utuntur, ambo enim odoriferæ: nux forma et magnitudine fimilis Καππαριος, lignum navibus ftruendis utile, iv. 2.

ΒΑΛΣΑΜΟΝ. *Claſſ. incert.*

Gummi ſponte fluit ut lachryma, ix. 1. exciſione apud Syros colligitur, ix. 2. Habit. εν αυλωνι της Συριας, (inter Libanon et Antilibanon,) arbor magnitudine Punicæ L. ramoſiſſima, foliis rutaceis, ſed magis incanis; ſempervirens; fructu ſimili Τερεβινθου. Gummi hujus arboris omnium pretioſiſſimum abraditur a cortice ονυξι σιδηροις, (inſtrumentis unguiformibus) ſæpe adulteratur, ix. 6. inter aromatica recenſetur, ix. 7.

ΒΑΤΟΣ ἡ. *Iſocandr.*

Cum Paliuro, ut frutex, i. 4. cum eodem ut frutex ſpinoſus, i. 8. caules ſpinoſi, i. 16. ſempervirens, cum Paliuro, iii. 17. genera plura: 1. erecta; 2. repens, cujus ramuli ὁταν συναπτωσι τῃ γῃ ῥιζονται παλιν. (N. B. Species hæc vocatur optime, Χαμαιβατος·) 3. Κυνοσβατος fructu rubro ſimili roſæ, ſc. Roſa *canina* L. folio Viticis, *agni caſti* L. iii. 18. ſpec. λοχμωδης vocatur ἡ Βατος, cum Παλιουρῳ, ut in paludibus et aquoſis creſcens, iv. 9. ib. iv. 13. πτορθακανθος, ramis ſpinoſis, vi. 1. N. B. Βατος ὁ an ſp. diverſa, de Cauſ. Pl. 1.?

ΒΛΗΚΩΣ. *Didynam.*

Id. q. Γληχων, Mentha *pulegium* Linn.? ſemel occurrit, ix. 16. ubi Dictamni folia τῃ Βληχοι comparatur.

ΒΛΙΤΟΝ. *Polygam.*

Ακροκαρπον, και πλαγιοκαρπον, una cum Ανδραφαξει et Ῥαφανῳ, i. 23. ſeritur menſe Martio, vii. 1. radices agit fibroſas, vii. 2. radices ligneſcunt, vii. 3. ſemina membrana obvoluta (εμφλοιοσπερματα) vel cortice tecta? ib. Genus ſimplex, vii. 4.

ΒΟΛΒΟΚΩΔΙΟΝ. *Hexandr.*

Vocatur βολβου κωδιον duobus verbis: florens poſt Narciſſum; nec ſæpius memoratur, vi. 7.

1. ΒΟΛΒΟΣ. *Claſſ. incert.*

Radix cortice tecta et tunicata; cum Scylla, et Allio *cepa L.* i. 10. folia ſine pediculo, (αμισχα) i. 16. propagatur ex bulbis, vii. 2. radix tunicata, (λεπυρωδης) vii. 9. folia linearia, παντελως στενα, (per totum anguſta.) Spec. hæc εχει καυλον του ανθους μονον, (i. e. ſcapum *Bot.*) vii. 12.

2. ΒΟΛΒΟΣ ΕΡΙΟΦΟΡΟΣ. *Claſſ. incert.*

Γενος ιδιωτατον, (maxime peculiare,) hab. in arenoſis maris; pars lanoſa ſub primis tunicis; pars interior edulis, in Taurico Cherſoneſo, vii. 13. lana, goſſipina, non ſericea, ib. N. B. Hyacinthi Peruviani mentio fit ſub nomine Bulbi eriophori. Act. Soc. Horticult. Lond. v. 1. p. 47.

ΒΟΛΒΙΝΗ. *Hexandr.*

Simul occurrit cap. eodem, vii. 13. dicitur infeſtare ſegetes; an bulbus Hyacinthi *Botryoidis* L.?

ΒΟΥΚΕΡΑΣ. *Gynandr.*

Nihil æque aridum, recenti ſtatu, viii. 8.

ΒΟΥΜΕΛΙΑ. *Diandr.*

Arbor excelſa, cortice lævi; hab. Macedonia in planis, iii. 11. in Ægypto abundant Μελια et Βουμελια, iv. 9. in aquoſis, ib. non occurrit in Græcia. Vid. Fl. Græc. Faſc. 1mum.

ΒΟΥΠΡΗΣΤΙΣ. *Claſſ. incert.*

Planta cichoracea, cum Aphaca et Κυνωπι, germinans cum pluviis primis, vii. 8.

ΒΟΥΤΟΜΟΣ. *Monœc.*

Caulis εχων ὁμαλωτητα ιδιαν, (lævitatem ſingularem,) vid. Ὁμαλος. Nervo acuto folium tranſcurrente, γωνιοφυλλος, vid. γωνια, i. 16. inter fluviatiles, iv. 9. fructus ater, ſimilis fructui Σιδης· pl. maſculina inutilis; pl. fæmina πλοκαμοις utilis, iv. 11.

ΒΡΟΜΟΣ. *Triandr.*

Fructus, i. e. ſpica, omnium maxime paleacea, (πολυλοπος,) viii. 4. ὁμοιοπυρος, (i. e. tritici affinis habitu) terram exhaurit maxime poſt Ζειαν, πολυκαλαμος ων, και πολυρριζος.

Γ.

ΓΑΛΒΑΝΟΝ. *Pentandr.*

Aliis Χαλϐανον: gummi ſolum occurrit, ix, 1. Planta forſitan γαλϐανος?

ΓΗΘΥΟΝ.
ΓΗΤΕΙΟΝ. } *Hexandr.*
ΚΡΟΜΜΥΟΓΗΤΕΙΟΝ.

Κοιλοφυλλον, (folio cavo intus,) i. 16. anno ſecundo maturat fructum, vii. 1. 2^da^. ſatio menſ. Munychione. ακεφαλον, και ὥσπερ αυχενι μακρῳ? ſæpius ſecatur, (Porrum *ſectile* L.) propagatur ex radice, vii. 4. amat loca irrigua, vii. 5. ου μεταφυεται, ib. ſemen minime durat, vii. 6.

ΓΛΕΙΝΟΣ. Syn. Ζυγιας. Vid. iii. 4.

ΓΛΗΚΩΝ. *Didynam.*

Inter λαχανα ſine deſcr. utpote notiſſima enumeratur; Φιλοκοπρα vocatur, et multo melius tranſplantatione provenit. N.B. Semel occurrit, et ibi apud Aldum Γλισχρος legitur, ſed male. vii. 5. Vid. Βληχως.

ΓΛΥΚΥΣΙΔΗ. *Polyandr.*

Παιωνια ab aliis vocata, ix. 9. Vid. Παιωνια.

ΓΟΓΓΥΛΙΣ. *Tetradyn.*

Radix carnoſa, i. 9. corticata, i. 10. ſeritur cum primis pluviis, vii. 1. radix magna, bulboſa; cortex avulſu facilis, vii. 2. πλαγιοκαρπος, (opp. ακροκαρπῳ, cujus fructus in apicibus,) vii. 3. duæ ſp. maſc. et fœm. vii. 4. non tranſplantatur, vii. 5. bulbus corticatus, vii. 9.

Δ.

ΔΑΥΚΟΝ ΔΑΦΝΟΕΙΔΕΣ. *Claſſ. incert.*

Pl. pharmaceutica, ſuccus ſolum deſcribitur, crocei coloris, xi. 15. Δαυκον an ſpec. eadem? Hab. Arcadia juxta Laconiam, ſingularis ſpecies radicem habens nigram, ſucco θερμαντικῳ διαφεροντως, (omnium calidiſſimo) ix. 22. cum Πευκεδανῳ jungitur.

1. **ΔΑΦΝΗ.** *Enneandr.*

Λεπτοφλοιος, i. 8. radice ανωμαλει, (an ſcabra, an inæqualis

magnitudine? vid. ὁμαλος) i. 9. Arbor ανοζος, (enodis,) cum Συκῃ, Ακτῃ, i. 13. ſempervirens, i. 15. iii. 4. baccæ oleoſæ, i. 19. ſpecies plurimæ, i. 24. pullulat cum zephyris, iii. 6. baccæ in racemo, iii. 8. Hab. in Olympo M. iv. 6. Inimica Viti, iv. 20. Baculi ſenibus ex illa fiebant ob levitatem, v. 8. uſus ad τρυπανον πυρειας, (vid. Lex. Theoph.) v. 10.

2. ΔΑΦΝΗ ΑΓΡΙΑ. *Enneandr.?*

Semel occurrit inter ſempervirentes. An ſpec. peculiaris? i. 15.

3. ΔΑΦΝΗ ΑΛΕΞΑΝΔΡΕΙΑ. *Diœcia.*

(Vid. Κεντρομυρρινη) επιφυλλοκαρπος; fructificatio ſuper folium, i. 16. Hab. M. Ida, iii. 17.

4. ΔΑΦΝΗ ΠΟΝΤΙΑ. *Corallina.*

iv. 8.

1. ΔΙΚΤΑΜΝΟΣ. *Didyn.*

Foliis Βληχου, (vid. ſupra) ramulis gracilioribus? ſuccus guſtu Menth. *Pulegii* L. ſimilis? Vires ad partus utiliſſimæ; folia ſolummodo in uſu, ſuccus ſc. expreſſus et aqua mixtus. Hab. Creta, ix. 16.

2 ΨΕΥΔΟΔΙΚΤΑΜΝΟΣ foliis ſimilibus, ramis minoribus. Vires inferiores, ib.

ΔΙΟΣ ΑΝΘΟΣ. *Decandr.*

Planta ποωδης, (herbacea,) ſed caulis ligneſcens, μικροφυλλος, vi. 1. in ſertis uſitata, ib. ανοσμος, vi. 6. ſero æſtate floret, vii. 7.

ΔΙΟΣ ΒΑΛΑΝΟΣ. *Monœc.*

Non eget cultura reſpectu fructûs, iii 3. Hab. in montibus Macedoniæ, iii. 4. Ambigebatur olim de flore maſculo, vel ιουλῳ, (amento, *Bot.*) iii. 6. germinat initio veris, ib. καχρυωδης, Juliferus, *Bot.* (καχρυς id. quod ιουλος,) iii. 7. Hab. M. Tmolo et Olympo, iv. 6.

ΔΟΛΙΧΟΣ. *Diadelph.*

Arbores ſcandit, viii. 3. femina cito germinant, viii. 10.

ΔΟΝΑΞ. *Triandr.*

Spec. omnium maxime communis: λοχμωδης, i. e. fruticoſus, (vid. Λοχμος,) iv. 12.

ΔΡΥΣ. *Monœc.*

Τραχυφλοιος, (cortice ſcabro,) i. 8. ακροῤῥιζα, (radice ſuperficiali,) βαθυῤῥιζα, (unica profunda fuſiformi,) i. 9. οζωδης, (nodoſa arbor,) item κραδαις obnoxia, (vid. Κραδη,) i. 13. foliis εντομας εχουσι, (lobatis *Bot.*) i. 16. Hab. in planis Macedoniæ, iii. 4. Amentum βρυον vocatur, iii. 6. item καχρυς, iii. 7. primo vere apparens, ib. Species variæ, iii. 9.

1. δ. ἡμερις.
2. δ. αιγιλωψ.
3. δ. πλατυφυλλος.
4. δ. φηγος.
5. δ. ἁλιφλοιος.
6. δ. φελλος. vid. φελλος.

1. Sp. parva, humilis, ramoſiſſima, ſine trunco; ramis inflexis, iii. 9.

2. Sp. maxime procera et recta, cortice lævi, ligno ισχυρῳ, (ſolido,) in incultis creſcens, ib.

3. Sp. inter primam et ſecundam proceritate et magnitudine; ligno ad uſus architectonicos minus utili; ad carbones et igniaria prorſus inutili, utpote laxo et poroſo, ib.

4. Sp. ουκ ορθοφυης, (fruticoſa ſpecies,) ligno firmiſſimo, incorrupto, ramis numeroſis; ἡ φυτεια περικομος, (capite rotundo, vel valde folioſo,) ib.

5. Sp. trunco craſſo, brevi, ſæpius intus cavo; ligno minus utili; ſine corde.

6. Sp. trunco erecto; cortice duplici. Quercus *Suber* L.

N. B. Gallæ 1mæ. ſpec. ſolum εις δερματα (ad uſus coriarios) utiles. Spec. 2da. fert Lichenem Φασκον dictum. (vid. Φασκος.) Species hæc hab. in Ponto, iv. 6. lignum σκληρον και βαρυ, v. 5. ſub aqua dulci durat; ſalſa tamen σηπεται, ib. Carbones optimi ad uſum argentariorum. Diviſiones Quercûs alibi, iii. 9, 10. ſic notantur:

1. ετυμοδρυς, gl. dulci.
2. πλατυπυλλος gl. amara.
3. φηγος gl. rotunda.
4. οσπρις gl. rara, ineduli.

ΔΡΑΚΟΝΤΙΟΝ. *Gynandr.*

Caule variegato, ut ſerpentis maculæ; radix bona ad βηχας, (tuſſes,) ix. 22.

E.

ΕΒΕΝΟΣ ἡ. *Diadelph.*

Lignum ponderoſum; enumeratur cum ligno Buxeo, i. 8. durities extrema, ut Loti, i. 10. Hab. India. Spec. duæ: prima; arbor ſpecioſa, ligno utili, quæ rara eſt: ſecunda fruticoſa, inutilis, iv. 5. lignum ſolidiſſimum, in aqua ſubſidens: gravitatis lignorum hi notantur gradus. 1. Εϐενος, πυξος. 2. Λωτος. 3. Μελανδρυον (Heart of Oak.) 4. Κυτισος (Cyt. Laburnum.) 5. Τερμινθος, v. 4. Lignum ασαπες, (ſine ſucco,) v. 5. Uſus ad morbos oculorum ſtatu arido, ακονῃ τριϐομενον, (ope cotis attritum,) ix. 22.

ΕΛΑΙΑ. *Diandr.*

Lign. αθραυστον, (tenax, Angl. "tough,") i. 8. ſine corde; ſecundum alios, totum cor, i. 9. radicibus ſcabris? nodoſis et θυσανωδεσι, (faſciculis fibrarum ad nodos, vid. θυσανοι,) ib. arbor nodoſa, ſpec. ſylveſtris tamen (Κοτινος dicta) nodoſior Ελαιᾳ, in trunco innaſcitur γογγρος, (vid. γογγρος,) i. 13. ſempervirens, i. 15. στρεφονται τα ὑπτια (partes ſuperiores foliorum) μετα τροπας θερινας, (i. e. "the upper parts of the leaves turn up;") folia incana, anguſta, pediculo brevi, i. 16. fructus carnoſus, i. 17. oleoſus, i. 19. flos πεταλωδης, (petalis diſtinctis *Bot.*) i. 21. fructus ex ſurculis anni prioris; differentia maxima inter ſylveſtrem et cultam, (Κοτινον et Ελαιαν,) i. 23. inſitione propagatur, ii. 7. Κοτινος validior Ελαιᾳ, iii. 3. maxime abundat in Libya, Cyrenæa, iv. 3. ſpec. intermedia, ſterilis in India, iv. 5. Arbor celebris Athenis, iv. 14. maxime vivax, iv. 15. Cultura fit καλλιω, iv. 19. lignum ſolidum album, v. 4. optimum juxta radices, v. 5. amat maris littus, vi. 2.

ΕΛΑΙΑΓΝΟΣ. *Diœcia.*

Fruticoſa ſp. Αγνῳ vel Vitici *agno caſto* L. ſimilis, foliis Μηλεας,

ſed mollibus; floribus apetalis, ut Populi; καρπῳ ουδενι. Hab. in palude juxta Lacum Orchomenis, iv. 11.

1. ΕΛΑΤΗ. *Monœcia.*

Nunquam culta, i. 6. Procera ſpec. cortex πολυλοπος, (vid. λοπος,) i. 8. cor, vel medulla lignea, ολιγορριζα vel μονορριζα· απαραϐλαςος, (non emittens ſurculos,) i. 9. mares nodoſiores fœminis; πενταοζος, (ramulis horizontalibus 4. uno erecto.) N. B. οζοι tumores ad baſin ramorum, qui apte dicuntur εμπεπηγοτες, i. 13. μονοςελεχης, (trunco ſimplici,) i. 14. ſempervirens, i. 15. foliis ακανθωδεσιν εξ ακρου, (apice pungentibus,) i. 16. arbor picea, i. 19. ανθει κοκκινῳ, vel forſan legendum κροκινῳ, ut apud quoſdam, (amento croceo *Bot.*) i. 21. propagatur ſemine ſolum, ii. 2. iii. 1. Hab. in M. Macedoniæ, iii. 4. floret vere, iii. 6. germinatio conſpicua δια το ςοιχειν τα γονατα, και εξ ισου τους οζους εχειν; (de modo creſcendi regulari; angulos enim rectos cum trunco faciunt, nodis 4 invicem oppoſitis, pari intervallo,) iii. 6, 7. καχρυας εχει, (Iulum fert,) βαθυρριζος, iii. 7. nunquam pullulat poſt cæſuram, iii. 8. Genera 2: 1. E. αρρην. 2. E. θελεια. 1. Pin. *Abies* L. 2. P. *Picea*, (vid. Præfat.) εν κωνῳ του αρρενος, καρυα (ſemina) ολιγα επ' ακρον· ξυλον ινωδες κουφον· οζοι σκληροτατοι, iii. 10. amant umbroſa, iv. 1. decacuminatione moriuntur, iv. 19. decorticandæ vere, ut lignum diutius duret, v. 1. lignum fibroſum, ασαρκον, βαρυ, αδαδον (non inflammabile; opp. ligno πευκης,) οζοι κερατωδεις, (duri inſtar cornu;) trunci juniorum ad κεραιας (antennas) navium, v. 2. lignum proprium ad onera ſuſtentanda vi elaſtica, v. 7. etiam ad uſus navales ex levitate; et ad ædificandum, v. 8. reſina δακρυωδης (in guttis) ex vulnere ſtillat, ix. 1.

2. ΕΛΑΤΗ ΠΟΝΤΙΑ. *Cryptog.*

Spec. προσγειος, (in æſtuariis, aut prope littus,) φυεται επι λιθοις και οςρακοις· ὁλη μορφη ορθη, (habitus totus erectus,) ſummitatibus etiam erectis, iv. 7.

ΕΛΕΒΟΡΟΣ. }
ΕΛΛΕΒΟΡΟΣ. } *Polyandr.*

Amat loca frigida, iv. 6. pl. ναρθηκωδης, (caule fiſtuloſo,) cum

Conio, Fæniculo, &c. vi. 2. odor radicis gravis ſtomacho etiam in effodiendo, qua de cauſa Cepam prius comedunt, ix. 9. Spec. duæ: 1. E. μελας. 2. E. λευκος, quæ vel colore radicum vel foliorum differunt. Sp. prioris fol. δαφνωδη, "dark green;" poſterioris πρασωδη, "light or graſs green?" foliis *profunde inciſis*; caule ανθερικωδει, (vid. ανθερικος,) breviſſimo, ex corona radicis: επιγειοφυλλος, (fol. radicalibus,) radicibus plurimis λεπταις; in quibus vis narcotica. Sp. 1. E. μελας, communis. 2. E. λευκος, rara: maxime in M. Oeta, Ponto, Elea, Maſſalia; in vineis. Creſcit item in M. Parnaſſo et in Ætolia, ſed vires deteriores, ix. 11, 15.

ΕΛΕΒΟΡΙΝΗ. *Gynandr.*

Ποαριον, (parvula ſpecies, herboſa,) foliis minimis; ſemen una cum ſucco Hellebori in uſu ὁπως ευεμεση, (ut vomitum ſine dolore ciat,) vii. 6. Nulla deſcr.

ʽΕΛΕΙΟΣΕΛΙΝΟΝ. *Pentandr.*

Tres Σελινου ſpecies apud Theophr. l. vii. 6. ʽΕλειοσελινον, ʽΙπποσελινον, Ορεοσελινον, (vid.) Spec. hæc hab. in rivulis, vel ductibus aquæ, μανοφυλλος, (foliis raris,) Σελινου ſimilis odore, ſucco, habitu, vii. 6. Semel occurrit.

ʽΕΛΕΙΟΧΡΥΣΟΣ. *Claſſ. incert.*

Pl. coronaria, cum Œnanthe, Anemone, &c. æſtate media florens, vi. 7. foliis tenuibus albidis; flore aureo; ſemine tenui, duro, (σκληρῳ,) radicibus horizontalibus. Planta boni ominis apud antiquos, ix. 21.

ΕΛΕΛΙΣΦΑΚΟΣ. *Diandr.*

Ποωδης, (pl. herbacea,) inter non ſpinoſas, quas difficile eſt diſtinguere, cum Origano, Thymbro, Ciſto, &c. ponuntur Σφακος, Ελελισφακος, vi. 1. Σφακος vel Σφακελος ſpecies culta; Ελελισφακος ſpec. ſylveſtris, foliis magis ſcabris; odore graviori. (vid. Σφακος, Σφακελος,) vi. 2.

ʽΕΛΕΝΙΟΝ. *Claſſ. incert.*

Φρυγανον ξυλωδης, caule ligneſcente, foliis parvis, cum Siſym-

brio, Abrotano, et multis aliis, vi. 1. flore et foliis fragrantibus, ἁπλος τοις ειδεσιν, (nullæ occurrunt varietates ?) vi. 6. Semina aiunt nunquam maturari Ελενιου, Ἑρπυλλου, Σισυμβριου, Μινθου, ſed ſurculis plantas propagari, falſo tamen, quia ſemen parvitate ſua latet, vi. 7. radicibus multis, divaricatis, ταῤῥωδεσι, (implicatis corbis modo, vid. ταῤῥος) lignoſis, ib.

1. ἙΛΙΞ. *Pentandr.*

Περιαλλοκαυλος, (planta ſcandens,) θαμνωδης, cum Smilace occurrit, ſine deſcriptione; videtur Hederæ varietas, vii. 8.

2. ἙΛΙΞ. *Pentandr.*

Κιττου (Hederæ) tertia ſpecies; varietates maximæ occurrunt reſpectu magn. foliorum et formæ anguloſæ: ἑλικος folia magis anguloſa, et foliis του Κιττου ſimilia; fructus rarus. Var. tres: 1. foliis læte viridibus. 2. foliis albis vel canis. 3. foliis variegatis. N. B. Hedera dicitur αποκιττουσθαι, quando per ætatem folia minus anguloſa fiunt, iii. 18.

ΕΛΥΜΟΣ. *Triandr.*

Ελυμος, Κεγχρος, Σησαμον παρ' αυτα, (diviſio ſeparata et habitu diverſa a frumentaceis et leguminoſis, σιτωδεσι και χεδροποις,) viii. 1. grana Ελυμου et Κεγχρου maxime durant, viii. 10.

ΕΝΘΟΥΣΙΚΟΝ. *Incertum.*

Semel occurrit in loco corrupto cum Caucalide et Ἡδυοσμῳ inter λαχανα inedulia, vii. 7.

ΕΠΙΜΕΝΙΔΕΙΟΣ. Vid. Σκυλλα.

ΕΠΙΠΕΤΡΟΝ. *Claſſ. incert.*

Ὁλως ανανθες! Flores inconſpicui *Bot.* Semel occurrit, vii. 8.

ΕΡΕΒΙΝΘΟΣ. *Diadelph.*

Leguminoſus, viii. 1. οψισπορος, ib. πλαγιοκαυλος, (caule ramoſo,) viii. 3. legumen rotundum, viii. 5. prominens hilum *Bot.* ex ſemine, ut in Vicia, *Faba* L. ib. Spec. tres: 1. E. μελας. 2. E. λευκος. 3. E. πυῤῥος, quorum poſterior ſero ſerendus; in udis lo-

cis, viii. 6. omnium leguminoforum citiffime fructum perficit, viii. 7. amat terram mollem, levem, (ψαφαρην) viii. 9. illæfus vermibus ob amaritudinem, viii. 10. N. B. Species occurrit fub nomine Κερασϐολον, ita dict. ob duritiem feminis. De Cauf. Pl. iv.

ΕΡΕΙΚΗ. *Octandr.*

Ακροκαρπος, (flores et femina in apicibus ramorum,) femel occurrit, i. 23.

ΕΡΙΝΕΟΣ. *Polygam.*

Sylveftris fpec. της Συκης, i. 24. fed plane diverfa, nec cultura mutans: accuratiffime, Ficus enim genus Triœcium. Mutatio Ερινεου in Συκην dicitur portentofum effe, i. 4. Ερινεα προαπτωτα, (fructus fc. mas Ερινεου) comparantur amento Quercûs, Pinûs, &c. pullulat primo vere, iii. 6. Sexus Ερινεου et Συκης diftinguitur, iv. 14. Lignum excellens ad εργα πολυτελη, v. 7.

ΕΡΙΟΦΟΡΑ. *Monadelph.*

Foliis vitis; Pericarpium εν ῳ το εριον, (in quo goffypium continetur,) ἡλικον μηλον εαρινον, (magnitudine mali verni,) συμμεμυκος, (apice connivens,) ὁταν δε ωραιον ῃ, (quando maturatur,) εκπεταννυται, (expanditur,) και εξαιρεται το εριον, (et aufertur goffypium.) N. B. Defcriptio accurata admodum. Hab. India, Arabia, iv. 9.

ʽΕΡΠΥΛΛΟΣ. *Didyn.*

Sempervirens, i. 15. φρυγανικος; caule lignofo, foliis parvis, vi. 1. Pl. coronaria, cum ʽΕλενιῳ enumerata, ὡς ἁπλος τοις ειδεσιν· etiam ὡς αγρια φυσις αυτου: floret maxime fine cultura. Hab. M. Hymetto, Athenis, &c. &c. montes totos operit, vi. 6, 7. Radix επιπολαιος, et in fpatium longum repens, vi. 7. ταρρωδης, (vid.) ξυλωδης, ib. Duæ fpec: 1. E. ορεινη. 2. E. ευοσμος, apud fylveftres ολιγο-ὑδροτατος, ib.

ΕΡΥΘΕΔΑΝΟΝ. *Tetrandr.*

Φρυγανικον, ανακανθες, (frutex inermis;) plures numerantur genera, quæ funt difficilia feparari, ex habitu, et varietate foliorum;

vi. 1. radix rubra, vii. 9. foliis Ωχρου, Pisi *Ochri* L. sed rotundioribus, κυκλιδον (habitu verticillato, *Bot.*) caulis repens; vires diureticæ, ix. 14.

ΕΡΥΣΙΜΟΝ. *Tetradyn.*

Cum Sesamo enumeratur, foliis sine nervis, vel venis, viii. 3. caulis subfistulosus, ib. semen non comeditur crudum, utpote nec Lupini; spec. affinis Σησαμου, et oleo abundans, viii. 7.

ʽΕΣΠΕΡΙΣ.

Νυκτος οζει μαλλον, unde nomen. Desc. nulla. De C. Pl. vi.

ΕΤΥΜΟΔΡΥΣ. Vid. Δρυς. *Monœc.*

ΕΥΒΟΙΚΗ. Vid. Καρυα. *Monœc.*

ΕΥΖΩΜΟΝ. *Didynam.*

Cum Ocymo enumeratur, rad. lignosa, i. 9. επισπορος, (sp. sæpius serenda in anno?) vii. 1. radix lignosa, vii. 3. semen durat, vii. 6.

ΕΥΗΠΑΤΟΝ. *Pentandr.*

Syn. Στρυχνου, (vid. Στρυχον,) vii. 7.

ΕΥΩΝΥΜΟΣ. *Claff. incert.*

Arbor Punicæ *Granati* L. flore et foliis similis. Ex insula Lesbo; odor floris gravis, iii. 18.

Z.

ΖΕΙΑ. *Triandr.*

Σιτωδης, (frumentacea, spec.) πρωισπορος, (primo sationis tempore serenda,) viii. 1. multis et profundis radicibus; multicaulis: καρπος κουφοτατος, (spica maxime paleacea,) προσφιλης πασι τοις ζωοις, (pecoribus omnibus gratissima,) viii. 9.

ΖΥΓΙΑ. *Monœc.*

Hab. montibus Macedoniæ, iii. 4. germinat ante equinoctium

vernum, iii. 6. ευαυξης, (cito crefcit,) iii. 7. hyeme cæditur, v. 1. lign. σκληρον, (durum, fragile,) v. 4.

H.

῾ΗΔΥΟΣΜΟΣ. *Claff. incert.*

Cum Ενθουσικῳ femel occurrit, vii. 7.

῾ΗΛΙΟΤΡΟΠΙΟΝ. *Pentandr.*

Επετειοκαυλος, (caule quotannis fefe renovante,) vii. 8. fucceffive floret, vii. 9. fempervirens, vii. 10. flos ακολουθει τα αστρα, (annon το αστρον Solem?) inde nomen.

῾ΗΜΙΟΝΟΣ ἡ. *Cryptog.*

Φυλλοις σκολοπενδρου, (pinnis fc. denfe ftipatis utrinque, ut Scolopendri pedes?) radix tenuis: vires in morbis fplenis, ix. 19.


῾ΗΡΑΚΛΕΩΤΙΚΗ. *Monœc.*

Foliis εντομας (ferraturas) εχων cum Πτελεᾳ, i. 16. Julifera arbor, iii. 7, 8. Sp. duæ: 1. H. αγρια, Corylus *Avellana* L. φυλλοις κεχαραγμενοις, (ferratis;) καρπιμωτερος, κατακοπτομενος τας ῥαβδους· καρπος στρογγυλος· πολυκαρπος, εν ταις φοραις· ῥαβδοις ανευ μασχαλων, (furculis fimplicibus, non ramofis.) Sp. 2. H. ἡμερα, καρυῳ προμακρῳ, εκλευκοτερῳ, (pulvere fc. farinaceo ad bafin nucis,) Corylus *Colurna* L. Ang. "Filbert," iii. 15. φλοιῳ ιδιας στιγμας λευκας εχοντι. N. B. Optime de cortice maculato, Coryli, ib.

῾ΗΡΑΚΛΕΙΑ. Vid. Μηκων. *Polyandr.*

ΗΡΙΓΕΡΩΝ. *Syngen.*

Pl. κιχωριωδης: inter λαχανα, αρουραια vocata, foliis Cichorii, vii. 7. floret longum tempus, primo vere εκκαυλει, και ανθει· ορθοκαυλος και νευροκαυλος, vii. 8.



Θ.

ΘΑΨΙΑ. *Pentand.*

Planta venenoſa; odor idcirco vitandus in colligendo, ix. 9. vires medicinales in radice et ſucco; pars radicis dicitur vomitum ciere, pars alia purgare alvum; foliis Fæniculi, ſed amplioribus; caule fiſtuloſo; radice alba, ix. 10. emetica; ſuccus ὑπωπιας αιρει, (ſugillationes.) Hab. Attica.

ΘΕΡΜΟΣ. *Diadelph.*

Annon dantur ſylveſtres et cultæ ſpecies? i. 6. enumeratur cum Capparide, ib. ſemen εν ὑλῃ βαθειᾳ, (in denſa materie, remotum a terra,) radicem emittit et germinat, i. 12. non eget cultura; cum Capparide et Σιλφιῳ, iii. 3. immediate ex ἁλῳ ferendum, viii. 1. βλαϛανει (το σπερμα) εκ του αυτου, (radiculam, et plumulam, *Bot.* ex eodem puncto profert. Vid. Monocotyled. *Bot.*) viii. 2. ſemen inedule ſine coctione? viii. 7. ſemen durat, viii. 10. De Cauſ. Pl. iii. 4.

ΘΗΛΥΚΡΑΝΕΙΑ. *Tetrandr.*

Hab. in Macedoniæ montibus, iii. 4. germinat προ Ζεφυρου, (vere primo?) iii. 6. differt a Κρανειᾳ μαλακοτητι foliorum, cavitate ligni medullari, et fructûs magnitudine: plures baccæ ex communi pediculo umbellatim diſpoſitæ, inedules, (vid. Κρανεια,) radices validi, iii. ουκ οζωδεις, ὡς κρανειας, i. 13.

ΘΗΛΥΠΤΕΡΙΣ. *Cryptog.*

